



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Qvæstio XLII. In Tit XLII. De Baptismo, Et Eivs Effectv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

paratione (ubi dicitur, quod celebraturus Missam, absoluto matutino cum laudibus, dicat *orationes inferius positas*) statim reddatur: *pro temporis opportunitate*, ex his enim ne quidem venialis obligatio deducitur, ubi temporis opportunitas non est; denique asserere: ex præcepto juris humani aliquid esse *sub obligatione gravi*, consequenter *sub amissione æternæ vitæ, & incursum æternorum tormentorum*, sine clara lege, vel convincenti ratione, non videretur congruere menti Legislatorum, cum primis benignæ Matris Ecclesiæ; præsertim, cum *contra eum, qui legem dicere potuit, apertius sit interpretatio facienda*, ut dicitur, *reg. 57. de reg. jur. in 6.*

3595 Ad. 2. ex §. 10. 12. cum in eo §. referatur promiscuè defectus in missa quandoque contingentes, tam *graves*, quàm *leves*, non rectè circa *singulos* inferri obligationem *gravem*; cum res levis tam de se, quam etiam relatè ad finem intentum à Legislatore, non possit graviter præcipi, at recitare matutinum, & laudes, *antequam* quis missam faciat, non modò de se, sed etiam relatè ad finem à Legislatore intentum, est res levis; cum inter ea duo nulla sit omnino connexio, vel dependentia, ergo; Censet tamen P. Illung loc. cit. ex dicto §. 10. inferri, *obligationem sub veniali; quæ tamen culpa etiam*

evitetur per justam causam; id, quod quoad evitacionem culpæ etiam venialis propter justam causam, verum censet etiam Sanchez *cit. l. 2. Consil. c. 2. D. 38. n. 5.* & Suarez *tom. 3. de Sacrament. D. 32. sect. 1.* dicens: *nullam esse obligationem vel ex lege scripta, vel non scripta*, recitandi matutinū prius, quàm quis privatim, vel solenniter celebret, saltem loquendo de officii divini recitatione *privata*, ut ex eoretulimus *lib. 1. decret. tit. 2. de constit. tit. a. 1319. 1.* cuius ratio deduci potest ex ibidem dictis, ubi cum Cardinale Brancatio, Suarez, Quarto, & aliis diximus, rubricas, quæ præscribunt ritus servandos intra missam, tangentes *substantiam actus, præceptivas* esse, quæ verò præscribunt *ritus ante, vel post missam*, tantum directivas. Quod verò dicitur de dispensatione Societati nostræ facta à Julio III. summo Pontifice, ut ipsū officium divinum celebrationi Missæ liberè, & *absque conscientie scrupulo* postponi possit (et si alii velint, ex hac seclusa tali dispensatione vel alia causa justa, talem postpositionem continere culpam venialem) non tam arguit dispensationem propriè dictam (quæ nimirum eximat ab obligatione legis) cum (ut diximus ex P. Suarez existente justa causa, nulla sit) quàm exemptionem scrupuli conscientiæ, qui quandoque Viris etiam timoratis oritur ex diversitate opinionum,



QVÆSTIO XLII. IN TIT. XLII. DE BAPTISMO, ET EJVS EFFECTV.

3596 **B**aptismus vox Græca est, quæ latine redditur *immersio, intinctio*. Apud Canonistas in *c. Necessarium, dist. 4. de consecrat.* idem valet *baptismus* atque *ablutio corporis exterior*, facta sub ordinata forma: apud Theologos duces Thoma *3. p. q. 66. a. 11.* Baptismus est triplex, seu potius sumitur tripliciter. 1. pro baptismo *sanguinis*, de quo Christus Dominus Luc. 12. Baptismo habeo baptizari, & est idem atque Martyrium, hoc enim (ut docet Suarez *D. 22. sect. 1.*) per quamdam analogiam vocatur

baptismus sanguinis: quia sicut verus baptismus, tangendo corpus, ex opere operato lavat animam ab omni culpa, & poena, sic Martyrium id præstat ex speciali privilegio, ita ut aliquando defectum baptismi suppleat. Deinde pro baptismo *flaminis*, hoc est spiritus sancti, qui *flamen* appellatur: & est idem, atque *baptismus charitatis*, & poenitentiae, quando quis per actum charitatis, seu contritionis, cum proposito suscipiendi baptismum, sufficienter disponitur, ut recipiat gratiam habitalem, quæ est aqua cœlestis, abluens ani-

mi sordes. Hic per metaphoram baptis-
mus est, quia nec imprimi characterem,
nec confert aliquem effectum ex opere
operato, sed solum ex dispositione operan-
tis cum divino auxilio gratiam sanctifican-
tem, & remissionem peccati: & propriis-
simè pro baptismo fluminis, quod est pri-
mum Sacramentum, & janua, qua Eccle-
siam quis intrat, dum elementari aqua ab-
luitur, pronuntiante Ministro: *Ego te ba-
ptizo in nomine Patris & filii, & spiri-
tus sancti.* De baptismo porò in postre-
ma acceptione agitur presenti titulo. Quia
verò de hoc Sacramento particulariter
agunt Morales Theologi; ea solum attingamus,
quæ in sacris canonibus h. t. pro-
ponuntur.

ARTICULUS I.

De Baptismo.

3597 **B**aptismus fluminis multipliciter no-
minatur à sacra scriptura, & Patribus,
ut videre est apud Bellarm. *lib. 3. de sa-
cram. cap. 1.* Dicitur enim *circumcisio
Christi*, non manu facta, ad Coloss. 2. Di-
citur *sepultura*, ad Roman. 6. quia per
Baptismum spiritualiter conspelimur
Christo, ut resurgamus ad vitam gratia.
Dicitur *Lavacrum regenerationis*, Joaz.
3. Dicitur *Illuminatio*; Nam illud ad
Hebraeos. 6. *impossibile est eos qui semel
illuminati sunt*, explicatur de baptismo.
Dicitur *donum*: quia in eo maxima fit
peccatorum, eisque poenæ debita condo-
natio. Dicitur *unctio*: quia per illum Spi-
ritus sancti gratiâ inungimur in regnum
Sacerdotale Christi. Dicitur *Indumen-
tum*: quia per ipsum tegitur nuditas, quam
peccatum originale induerat. Denique
antonomastice *signaculum* appellatur:
quia per baptismum omnes Christi oves
primum ejus signum accipiunt, quo ab
alienis discernantur.

3598 In Catechismo Romano p. 2. c. 2. defi-
nitur: *Sacramentum regenerationis per
aquam in verbo vite.* Loco generis po-
nitur *Sacramentum*. Reliqua ponuntur
loco differentia: præsertim particula (*re-
generationis*) per hanc enim sufficienter
distinguitur baptismus à reliquis Sacra-
mentis, quæ, licet suo modo vivificent;
& poenitentia spiritualiter mortuos resu-

scitet: at solus baptismus dicitur *regene-
rare*: quia solus confert vitam spiritua-
lem omnino primam: est autem *regene-
ratio*, quasi secunda generatio, quæ post
primam naturalem, collatam à parenti-
bus, supernaturaliter confertur à Christo.
In illis verbis (*Per aquam in verbo vite*)
continetur alia definitio physica, tradita
per partes physicas, nempe *per aquam ele-
mentarem*, quæ est materia remota; &
per *verbum vite*, scilicet invocationem
S. Trinitatis, quæ est illius forma.

Magis perspicuè traditur definitio phy- 3599
sica à Magistro in 4. *dist. 3.* in hunc mo-
dum: Baptismus est ablutio corporis ex-
terior facta sub forma præscripta verbo-
rum. Reddit hunc sensum per Synecdo-
chen, ut notat Bellanus *quest. 66. a. 1. n. 4.*
Baptismus est Sacramentum constans
ablutione corporis exteriori facta sub præ-
scripta forma verborum: subintellige,
cum legitima intentione: Ubi licet fiat
solum expressa mentio materiae, & formæ
partialis, scilicet *ablutionis, & prolatio-
nis verborum*, quibus constat Baptismus
tanquam toto integro materiali, & subje-
cto, cui inest sacramentalis significatio;
hæc tamen in esse intelligitur, & sensus red-
ditur: *baptismus est ablutio corporis, &
præscriptæ formæ prolatio, quæ rege-
nerationem spirituales significant*; his
præmissis:

Quæstio. 1. est, an sit de necessitate for- 3600
mæ in Baptismo, ut exprimat *actus ba-
ptizandi*? hanc quæstionem continet c.
si quis. 1. h. t. ubi Alexander III. *si quis*,
inquit, *puerunter in aqua immerferit
in nomine Patris & Filii, & Spiritus
Sancti, Amen:* & non dixerit: *ergo ba-
ptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spi-
ritus sancti, non est puer baptizatus.*

Pro explicatione hujus canonis, quan-
tum pertinet ad nostrum institutum, not.
1. olim trinam immersionem fuisse in usu
Ecclesiæ, & ex præcepto Apostolorum, ita
ut *Pater* nominaretur in prima immersione;
Filius in secunda; *Spiritus Sanctus* in
tertia; non tamen esse de necessitate Sa-
cramenti; & ideo sequendam in unaqua-
que regione consuetudinem Ecclesiæ Ca-
thedralis rectè tradit Bonacina de Sacra-
ment. *D. 2. q. 2. p. 3. num. 16. in n. seq.*
dicens, validum esse baptismum sive ad-
ministraretur immergendo corpus in aquam,

ut apud Lusitanos fieri consuevit; sive infundendo, & applicando aquam corpori, ut alibi fit. Quæ autem aqua sit materia remota baptismi, vide per citatos ad cap. *n. 19.* de summa Trinitate.

3601 Not. 2. ex dicto c. 1. esse de substantia formæ baptismi verba, quibus exprimitur actus baptizandi, seu actio, quæ exercetur circa eum, qui baptizatur, sive exprimitur per verbum *baptizo*, sive per verbum *abluo*, *mergo*, quod verum est, licet exprimat in secunda, vel tertia persona, ut *baptizaris*, vel *baptizatur*; dummodo significetur actio baptizantis in actu exercito. De essentia autem baptismi non est, quod exprimat persona ministri sive explicitè, sive implicitè. Nam in forma Græcorum dicitur: *baptizetur servus Christi*, quin dicatur à quò; secus est, de persona baptizandi, sive dicatur *baptizo te*, sive *baptizo hunc*, sive *Titium*, sive *tu baptizaris a me*, prout hoc colligunt ex dict. c. 1. & CC. Florentin. Suarez tom. 3. D. 21. sect. 2. conclus. 3. & complures alii.

3602 Altera quæstio est, an sit de necessitate formæ baptismi explicita divinarum personarum expressio, nec sufficiat solum implicita? v. g. *baptizo te in nomine SS. Trinitatis*, vel *in nomine Christi*, &c. quod omnino sit de necessitate explicita illarum expressio; qui enim non est immersus aquæ, vel ablutus *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, non est baptizatus, ut colligitur ex dict. c. 1. ubi & exprimi debere actionem baptizantis, & invocationem *Patris, & Filii, & Spiritus sancti* habetur, ut patet ex forma, quam, tanquam substantialem Alexander III. contraponit priori, tanquam laboranti defectu substantiali; item ex c. *Multi*. 82. dist. 4. de Consecrat. ibi: *Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi unâ etiam immersione se asserunt baptizare: Evangelicum verò præceptum ipso Deo, & Domino Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trinâ etiam immersione, sanctum baptismum unicuique tribuere*, dicente Domino discipulis suis, (ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti) ita Pelagius Papa ad Gaudentium Episcopum, V. Suarez tom. 3. de Sacram. D. 21. sect. 3. & seqq.

3603 Dices: Nicolaus Papa, consultus à Bul-

garis, ut habetur in c. *a quodam* 24. dist. 4. de Consecr. quid de iis agendum esset, qui baptizati fuerunt à quodam, de quo nesciebatur, utrum Judæus, Paganus, an Christianus esset? respondit: *si in nomine S. Trinitatis, vel tantum in Christi nomine (sicut in actibus Apostolorum legitur,) baptizati sint, constat, eos non esse de novo baptizandos: ergo baptismus collatus in nomine Trinitatis, vel Christi tantum, non expressis tribus personis divinis, est validus? R. dato anteced. quoad responsum Nicolai; N. conseq. nam licet Pontifex dixerit, eos non esse rebaptizandos, qui baptizati sunt in nomine Sanctæ Trinitatis, per hoc tamen non definit, valere baptismum si solum implicitè tres personæ sint expressæ (nam hoc non erat propositum à Bulgaris) sed tantum, an valeret, non obstante, quod collatus sit à Judæo, vel Pagano? & ad hoc respondit, propterea non esse rebaptizandos, modo servaverint debitam formam, qua fieri debet invocatio SS. Trinitatis; ex cit. autem juribus, c. 1. h. t. & c. *Multi*, supra clarè constat, fieri debere explicitam trium personarum invocationem; ergo.*

Ad alterum, quod dixit Nicolaus Pontifex in cit. c. *a quodam*, non esse rebaptizandos, qui baptizati sunt in nomine Christi, triplex est responsio; prima est S. Thoma. 3. p. q. 66. a. 6. & Glosse in c. 1. h. t. V. in nomine, & c. *a quodam*, V. Trinitatis, dicentis: in primitiva Ecclesia baptismum fuisse collatum in nomine Christi, ut amplificaretur nomen ejusdem, ex dispensatione ipsius Christi ad tempus concessâ: sed postea rursus revocatâ; quia in nomine Christi implicitè continentur tres personæ divinae, scilicet *Pater unigenitus, & Filius unctus, & Spiritus sanctus*, per quem est unctus.

Altera est illorum, qui dicunt, quando baptismus dicitur collatus in nomine Christi, non significari, fuisse collatum expressâ invocatione solius Christi; sed etiam tunc factam semper explicitam invocationem omnium trium personarum distinctè; atque adeo per verbum illud in nomine Christi, aliud non significari, quàm, quod baptismus administratur, & conferatur in nomine, hoc est, in fide virtute, & meritis Christi, à quibus baptismus collatus sub explicita invocatione trium

trium divinarum personarum omnem suam vim, & originem habet; & sic intelligi, quando actibus Apostolorum dicitur, baptizatos esse *in nomine Christi*, nimirum in virtute, & merito ejus; non autem *sola invocatione ejus*; ita Suarez cit. D. 21. sect. 2. vers. ad decretum, & alii.

3606 Tertia est eorum, qui volunt, cum dicuntur valide baptizati, qui baptizati sunt *in nomine Christi*, aliud non intelligi, quam valere baptismum, si loco hujus nominis *Filii*, expressum sit nomen *Christi*, baptismum scilicet sic conferendo: *ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritus sancti*; pro hac responsione refert Barbol. in cit. c. 1. n. 9. Henriquez, Vivaldum, &c. ad quaestionem autem, an aliquando administratus fuerit baptismus *nomine Christi tantum*? affirmant aliqui, ex dispensatione Christi solum ad tempus concessa, ut retulimus n. 3604. aliis distinguuntur rectius, & negantibus, *si in nomine Christi tantum* importet idem, ac sub invocatione, seu expressione *Christi tantum*; affirmantibus vero, si solum importet idem, ac, *in merito Christi tantum*, seu tantum *in vi meritorum Christi*.

3607 Tertia quaestio est, utrum si probabile sit dubium, an quis sit, vel non sit baptizatus, debeat baptizari? ad hoc respondit Alexander III. ut habetur c. de quibus. 2. h. t. ubi: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint? baptizentur his verbis praemissis: non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, ego baptizo te.* Occasionem huic Pontificis rescripto dedit Gallia, cum enim in ibi reperirentur plures baptizati, & dubii, an sub legitima forma? ideo rescripsit Alexander in praesenti, eos iterum baptizandos esse sub forma in praesenti praescripta; sic Gonzalez in dict. c. 2. n. 1. Sed de hac materia diximus lib. 5. tit. 9. anum. 788. plura in Theologia morali, cum ageremus de Sacramentis in particulari; & videri potest Quintanaduen. in suis singularibus, a singulari. 1. Gibalinus de Irregularitat. c. 5. consec. 4. Dicastillo de Sacrament. tom. 1. tr. 2. D. 1. d. 7. & alii eum Cardin. de Lugo in Respons. moral.

3608 Quarta quaestio est, an possit quis se ipsum baptizare, *baptismo fluminis*? hoc dubium propositum fuit Innocentio III. ut habetur in c. Debitum 4. h. t. ubi, cum quidam Judaeus, in mortis articulo confi-

tutus, ac inter Judaeos tantum existens, in aquam seipsum immerisset dicens: *ego baptizome in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; & Metensis Episcopus dubitasset, utrum ille Judaeus, in deo nomine Christiana fidei perseverans, debeat baptizari? respondit Pontifex: *quod, cum inter baptizantem, & baptizatum debeat esse discretio (sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis: baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.) memoratus Judaeus est ab alio baptizandus, ut ostendatur, quod alius est, qui baptizatur, & alius, qui baptizat*: ad quod etiam designandum, ipse Christus, non a se ipso, sed a Joanne baptizari voluit. Ex hoc aliqui deducunt, etiam in aliis Sacramentis novae legis, suscipientem egere ministro a se distincto, si excipias Eucharistiam, ut notat Gonzalez ad dict. c. debitum. n. 1. sed hoc non procedit in matrimonio.

Quaeri potuisset ulterius, *an si Judaeus, qui seipsum baptizavit, continuo decessisset, ad patriam (intellige, caelestem) protinus evolasset per Sacramenti fidem?* respondit ultronee loc. cit. Pontifex: quod sic; non tamen propter *fidei Sacramentum*; sed propter *fidem Sacramenti*; id est, per contritionem, & fidem vivam cum voto baptismi. Unde jam colligitur, illum, qui se ipsum in articulo mortis baptizavit, non esse salvandum *ratione baptismi actualis*; quia nullus potest se ipsum baptizare; fieri tamen potest, ut salvetur *ratione baptismi in voto*; quia creditur habere contritionem cum proposito baptismi; ita Lazar. in compendio Navarri, V. baptismus n. 16. quem refert Bonacin. dict. n. 20. vers. ex dictis. Bene igitur docent Henric. dict. lib. 2. c. 3. §. 4. in princ. & Aegid. de Coninck. de Sacram. & censur. tom. 1. q. 68. art. 2. n. 31. voluisse Christum, ut quando a baptismo in re (propter impotentiam in necessitate, vel alias ob aliam causam) excusatur adultus, salutem haberet per baptismum *in voto*, id est, per positivum actum contritionis, aut dilectionis Dei, vel Martyrii.

Quinta quaestio est, an illi parvuli sint baptizati, seu pro Christianis habendi, quos, in articulo mortis constitutos, propter

pter aquæ penuriam, & absentiam sacerdotis, aliquorum simpliciter in caput, ac pectus, ac inter scapulas pro baptismo salivæ conspersione lenivit. Respondit idem Innocentius III. (ut habetur c. *Non ut apponeres*, §. *h. t.*) cum in baptismo duo semper (videlicet *verbum, & elementum*) necessariò requirantur, juxta quod veritas de verbo ait: (*Euntes in mundum universum, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; eademque dicat de elemento: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non introibit in regnum caelorum*) dubitari non debere, illos verum non habere baptismum, in quibus non solum utrumque prædictorum, sed eorum alterum est omissum; ubi not. per *verbum* hic intelligi formam verbalem, de qua supra; ac *elementum*, materiam remotam, quæ est aqua naturalis, seu elementaris, de qua Casista, ac CC. Florent. in decreto unionis Armenorum, de Sacram. §. 1. & *Trid. Sess. 7. de bapt. c. 2.*

3611 Sexta quæstio est, an Græci licitè recusat celebrare in Altaribus, in quibus antè celebrarunt Latini Sacerdotes, reputantes propterea ejusmodi altaria inquinata, dum prius laventur? Quæstio hæc mota fuit in CC. generali ut habetur c. *Licet* 6. *h. t.* Postquam enim Græcorum Ecclesia cum quibusdam complicibus, & fautoribus suis, ab obedientia Sedis Apostolicæ se subtraxit, in tantum Græci ceperunt abominari Latinos, quod inter alia, quæ in derogationem eorum impiè committebant, si quando Sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificabant in ipsis, quàm ea, *tanquam per hoc inquinata* lavissent; baptizatos etiam à Latinis ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant, & adhuc, prout tunc Pontifici relatum erat, quidam hoc agere non verentur; his intellectis Innocentius III. cum eodem CC. statuit, dicens: *Volentes igitur tantum scandalum ab Ecclesia Dei amovere, sacro suadente Concilio, districte precipimus, ut talia de cætero non præsumant, conformantes se, tanquam filii obedientiæ, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, Matri suæ, ut sit unum ovile, & unus pastor. Si quis autem tale quid præsumserit, excommunicationis mucrone percussus, ab*

omni officio, & beneficio Ecclesiastico deponatur; Textus per se clarus est.

Præter dicta, visum est paucis annotare, sequ. 1. cum dixerimus, quando morale, seu prudens dubiù occurrit de valide recepto, vel collato baptismo debere illum iterari sub conditione, cum baptismus sit necessarius ad salutem, necessitate mediè, ut tradit Quintanaduennas *tr. 1. singulari* 1. n. 9. & *ing.* 13. dubitari posse, quando censetur morale periculum, vel potius quid morale simpliciter dicatur? hoc inquiri potest universaliter, quando dicitur, *aliquid, loquendo moraliter, fieri non posse.* Cardinalis de Lugo in Responsis moralibus *l. 1. D. 1. n. 12.* ait: *morale periculum censeri, quando prudenter formidare possumus, ne hoc ipsum contingat, cujus periculum morale adesse dicitur.* Hinc censet, quando prudenter dubitatur, an hæreticus in baptismo adhibuerit debitam formam, materiam, vel intentionem: *hominem ab illo baptizatum, posse, ac debere baptizari sub conditione; sic Cardinal. de Lugo D. 2. n. 4.* Unde, & Quintanaduennas *cit. singulari* 1. censet; *prudens dubium* adesse, si Parochus, vel obstetrix fateatur, se exploribus, quos baptizaverunt, non habuisse intentionem baptizandi circa aliquos, sibi omnino ignotos. 2. si quis baptizatus sit à Pagano, Judæo, Saraceno, aut hæretico, ex hoc præcisè, quòd baptizantes tales sint, prout habet *singulari* 1. 3. si infantes à parentibus, cognatis, obstetricibus, vel aliis laicis, ob mortis periculum, vel aliam causam domi, vel alibi baptizati sint; sic habet *singulari* 5.

Annotandum. 2. quando propter prudens dubium (*an prior baptismus validus, reiterandus sit sub conditione*) hunc conferri posse à quolibet tam Sacerdote, quàm Diacono, vel Subdiacono; imò & Laico, etiam si Sacerdos commode haberi possit, vel Parochus; nec hujus licentiam requiri. 2. in eo casu *Patrimium* non esse necessariò adhibendum; ex hoc baptismo non nasci impedimentum cognationis spiritualis; 4. solennitatem, & ritus baptismi solennis, in hoc casu non requiri. 5. conditionem (*si non est verè baptizatus*) à baptizante apponendam sufficere, *mente retentam*, nisi nullitas prioris baptismi notoria foret, de quibus videri potest

potest Quintanad. à sing. 17. ac demum, Filium Judæi, volentem baptizari, posse baptizari etiam Patre invito, quando dubitatur de sufficienti usu rationis, docet Suarez tom. 3. in 3. p. D. Thom. D. 25. S. 3. saltem, si necessitas urgeat.

ARTICULUS. II.

De Effectu Baptismi.

3614 **A**Nte resolutionem noe. in Clement. unica, h. t. prohiberi, ne de cætero Baptismus conferatur in Aulis, vel Cameris, vel aliis domibus privatis, sed in Ecclesiis tantum, in quibus sunt fontes ad hoc specialiter deputati: nisi baptizandi Regum, vel Principum liberi extiterint, (quod Gloss. hic V. Regum, extendit etiam ad Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum & aliorum Potentatum liberos) vel talis necessitas emerferit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo (sive pueri baptizandi, sive ob hostilitatem, vel locum obfessum, Gloss. hic V. Periculo,) accessus haberi. Qui autem se-cus præsumpserit (baptizando in talibus locis) aut suam in hoc præsentiam (ex proposito, Gloss. hic V. Præsentiam) exhibuerit, hic per Episcopum suum puniatur (arbitrariè) ut alii similia attentare non præsumant; quo posito, nunc descendendo ad quæstionem propositam, B. Baptismi effectum exponi in c. Majores 3. h. t. idque propter varios errores, qui circa Baptismum parvulorum, seu infantium, varii fuerunt, non solum hæreticorum, sed etiam Catholicorum, ut notat Gonzalez in dict. c. Minores à n. 3. Primò igitur in dict. c. Majores, decidit Innocentius III. Baptismum utiliter, & cum effectu, (de quo in seqq.) conferri parvulis, & infantibus, licet nec credant, nec intelligant; quia remittit culpam originalem, & coelum aperit, quod aliàs originali culpa omnibus in Adamo lapsis clausum erat; constat ex ipso textu ibi: *respondemus*, quòd Baptisma Circumcisioni successit: absit enim, ut in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat, *Legem cum Evangelio, Circumcisionem cum Baptismo servandam*; quoniam, secundum Apostolum dicentem ad Galatas: *Si circumcidimini, Christus vobis nihil prodest*. Cum ergo Circumcisio, tam adultis, quàm

Tom. III.

parvulis ex præcepto Domini conferretur, ne Baptismus, qui successit in loco ipsius, & generalior tamen existit (cum tam Viri, quàm Femine baptizentur) minoris videatur effectus, tam adultis est, quàm parvulis conferendus. Nam sicut olim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: *Anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo*, ita nunc distinctè vox intonat Evangelica: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum DEI*, ab hac generalitate, nec sexum, nec ætatem excludens. Unde sicut anima circumcisi de populo suo non peribat, sic qui ex aqua fuerit, & Spiritu Sancto renatus, regnicælorum introitum obtinebit.

Advertit autem ibidem Pontifex, ca- 3615
tè adnotandum, quantum plus Baptismus hodie conferat Christianis, quàm quondam Judæis Circumcisio contulisset. Dicitur est in fine prædictæ Auctoritatis inductæ de veteri lege: *Peribit de populo suo*, in Evangelica verò veritate subjunctum est: *non introibit in regnum DEI*: quoniam, etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cælorum, quousque per mortem Christi fuit omnibus observatum: sed per Sacramentum Baptismi Christi sanguine rubricati, culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cælorum etiam pervenitur, cujus januam Christi sanguis fidelibus misericorditer reservavit.

Quoniam verò, qui negabant, par- 3616
vulis prodesse Baptismum, susceptum ante usum rationis, hoc non tam ratione, quàm auctoritate persuadere nitebantur; iisdem etiam loco cit. legitimam solutionem reddit. Fundamenta illorum erant, quòd, cum secundum verbum Jacobi Apostoli dicentis in Epistola sua: *Charitas operit multitudinem peccatorum*, & juxta testimonium veritatis in Evangelio de peccatrice, quæ ipsius pedes laverat, prohibentis: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, non nisi per charitatem, & in charitate crimina dimittantur: parvulis, qui nec sentiunt, nec consentiunt, & charitatem non habent, quæ sentientibus, & consentientibus tantum infunditur, peccatum non dimittitur in

Ooo oo

Bapti-

Baptismo, & sic eis Baptisma non confer-
tur, quia non est talibus conferendum:
in Evangelio quoque legitur: *Qui credi-
derit, & baptizatus fuerit, salvus erit,
qui autem non crediderit, condemnabitur.*
Unde parvuli, sive fuerint, sive non fue-
rint baptizati, condemnabuntur, utpote
non credentes; sic illi.

3616 Ad hæc igitur respondet Innocentius:
absit, ut universi parvuli pereant, quo-
rum quotidie tanta multitudo moritur,
quin & ipsis misericors DEUS, qui nemi-
nem vult perire, aliquod remedium pro-
curaverit ad salutem, & subiungit: *ex
vi literæ* (seu textuum ex scriptura desum-
ptorum, quos contrarii allegant) *satis
patere*, prædictas auctoritates *intelligen-
das esse tantummodo de adultis, qui habent
multitudinem peccatorum; cum de parvulis
non possent intelligi, qui peccato tantum
originali tenentur.* Similiter etiam illa
alia auctoritas solvenda est: *qui crediderit,
& baptizatus fuerit, &c.* cum non pos-
sint credere parvuli, sed adulti: & ob hoc
tota auctoritas hæc intelligenda est tan-
tummodo *de adultis*, ne ad alios prima,
sed ad alios secunda clausula referatur:
quamvis nonnulli concedant, quod par-
vuli credunt, non per actum, sed per
habitum fidei, quem suscipiunt in bap-
tismo: sicut & alia multa verba secun-
dum communem usum loquendi, non
ad actum, sed ad aptitudinem referun-
tur. Concludit tandem ita loquens: *il-
lud ergo, quod opposites inducunt, fidem,
aut Charitatem, aliasque virtutes parvulis,
utpote non consentientibus, non infundi,
& plerisque non concedi absolute, cum pro-
pter hoc inter Doctores Theologos quæ-
stio referatur, aliis asserentibus per vir-
tutem Baptismi parvulis quidem culpam
remitti, sed gratiam non conferri; non-
nullis verò dicentibus, & dimitti pecca-
tum, & virtutes infundi habentibus illas
quoad habitum, non quoad usum, do-
nec pervenerint ad adultam ætatem.*

3617 Deinde in *§. Verum*, dicit: quamvis
eis in Baptismo peccatum originale dimit-
tatur, qui consentire non possunt; non
tamen dimitti adultis, amentibus, vel
dormientibus, qui non prius consense-
runt in Baptismum, remitti peccatum
actuale; imò nec originale; tum quia

DEI opera non sunt imperfecta (ac pro-
inde peccata, non ex parte, sed ex toto
dimittit) tum quia poena originalis pec-
cati est carentia visionis DEI; poena ve-
rò actualis peccati (mortalis) est crucia-
tus perpetua gehennæ: unde si dimitte-
retur alicui primum, non dimisso altero,
is non careret visione DEI, propter ori-
ginale dimissum: & tamen perpetuo cru-
ciaretur in gehenna, propter reatum pec-
cati actualis, non dimissi: quæ, cum
sint impossibilia, non possunt simul sub-
sistere: imò sibi invicem adversantur hæc
duo, *originale remitti, & actuale remane-
re*, ita habetur in hoc cap. *§. sed
adhuc.*

Demum in *§. Item quaritur* hoc cap. 3611
dicitur, quod is, qui per terrorem sup-
pliciorum; ac poenarum ad Baptismum
violenter trahitur, & ne aliud detrimen-
tum, seu damnum incurrat, Sacramen-
tum Baptismi suscipit, Characterem reci-
pit, quia conditionaliter vult, licet ab-
solutè non velit (vult enim baptizari: ut
supplicia, vel poenas evitet, *coacta autem
voluntas, est voluntas, c. Merito, l. canf. 15. q. 1. Gloss. hic V. conditionaliter vo-
lens;*) proinde etiam saltem in foro exter-
no cogendus est, ad observantiam fidei
Christianæ; juxta *c. de Judæis 5. dist. 45.*
quod est desumptum ex Concilio Toleta-
no; sicut & ille, qui fide accedit ad Ba-
ptismum accipit Sacramentum; qui,
quamvis non ore, corde tunc dissentit:
ut expressè habet textus: ille verò, qui
nunquam consentit (in Baptismum) sed
penitus contradicit, nec rem, nec Cha-
racterem suscipit Sacramenti; ideoque si
baptizetur, non erit baptizatus, sicut il-
le, qui penitus contradicens, & recla-
mans, cogitur violenter thura offerre ido-
lis; non est reus alicujus criminis.

Dormientes autem, & amentes, si
priusquam amentiam incurrerent, aut
dormirent, contradixerunt, & nihilomi-
nus baptizantur, non recipiunt Chara-
cterem Sacramenti; quia in illis intelli-
gitur propositum contradictionis perdurare.
Si verò non contradicebant, sed erant Ca-
techumeni, habentes propositum Bap-
tismi suscipiendi: tales, si baptizantur in
amentia, vel somno (uti consuevit Ec-
clesia eos in necessitatis articulo baptizare)
recipiunt Characterem Sacramenti, quia
non

non posuerunt obicem contrariæ voluntatis. Ratio est, quia semper præsumitur prior voluntas durare, nisi probetur mutata. Gloss. hic V. *perdurare*.

3619 Ex hac decisione Pontificia deducitur. 1. Baptismum conferri parvulis utiliter, nimirum cum effectu, quo tollatur in illis peccatum originale, & aperitur illis cælum; 2. quòd Baptismus successerit circumcisioni quoad vim tollendi peccatum originale; sic tamen, ut in altero istam superet, quæ non aperiebat cælum; 3. quòd textus scripturæ in baptizando requirentes fidem actualem, & charitatem, procedant solum de adultis; 4. per circumcisionem non fuisse apertum cælum, quia ejus jannam primum Christi sanguis fidelibus misericorditer reseravit; 5. Juxta communem nunc Theologorum doctrinam per Baptismum, & peccatum dimitti, & virtutes infundi, habentibus (nimirum parvulis, & infantibus) quoad habitum; non, quoad usum; donec pervenerint ad adultam ætatem, de quibus fuse Gonzalez in c. *Majores* à n. 3.

3620 Deducitur, 6. peccatum esse duplex, originale, quod absque consensu (nimirum proprio) contrahitur; & actuale, quod committitur cum consensu, proprio & personali; originale remitti per virtutem Sacramenti Baptismi, etiam sine consensu in Baptismum, intellige illis, qui ipsi consentire non possunt; actuale autem non, nisi accedat consensus in Baptismum; imò tali casu etiam nec originale, cujus rationem, ab ipso Innocentio assignatam in textu, retulimus. Quando autem in textu dicitur, quod poena originalis peccati sit carentia visionis divinæ; actualis verò peccati sit gehennæ perpetuæ cruciatus, postrema verba (peccati actualis) non sunt accipienda exclusive, nimirum, ut ejus poena sit tantum cruciatus gehennæ; non autem carentia divinæ visionis, sed potius adversative, ut sensus sit, quod poena peccati originalis sit carentia divinæ visionis; peccati autem actualis etiam cruciatus æternæ gehennæ; hoc enim suadet ratio, quam assignat Pontifex; aliàs DEI amicus, & formaliter beatus (hoc enim præstat visio) esset

simul dignus æternò DEI odio, & condemnatus ad æterna tormenta, de quo V. Gloss. in dict. c. *Majores*, V. *propter originale*.

Ad id porro, quod opponi potest ex 3621 D. Augustino, relato in c. *Firmissimo* 83. de consecr. dist. 4. in princip. & præcipue in vericulo *firmissime*, (ubi, postquam tradiderat omnem hominem ex viro, & muliere conceptum, cum originali peccato nasci, id est concipi, impietati subditum, & morti subjectum, subjungit, non solum adultos homines ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cum de matribus nati, sine Sacramento Baptismi, de hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos) respondetur: accipiendum esse de poena damni, & carentia visionis DEI, nam in sacra Scriptura, & apud Ecclesiæ Patres ignis nomine notatur poena, aut vindicta gravis, quacunque illa sit, ut colligitur ex Psalm. 76. v. 10. ibi: *Igne nos examinasti*, id est, *verberibus & flagris*, ut optime notat ibi D. Basilius in Psalmum 139. vers. 11. ibi: *Cadent super eos carbones ignis*, ubi D. Chrysostomus ita inquit: *Carbones ignis, & ignem dicit supplicium, quod à superis mittitur*.

Deducitur 7. eos, qui semel 3622 serunt in recipiendum Baptismum, nec voluntatem suam retractarunt, esto Baptismum recipiant dormientes vel etiam postea facti amentes, recipere Characterem, & Sacramentum, qui autem semper inviti, & penitus contradicentes per coactionem absolutam; nec recipere Characterem, nec Sacramentum; qui verò solum conditionali coactione, nimirum metu poenarum, recipere utrumque: denique qui consentiunt fictè, nimirum ore, dissentiant corde, ac animo, positive renitentes etiam solum interne, nihil quidem recipere; in foro tamen externo cogi posse ad observantiam Christianitatis, quia in foro externo præsumuntur baptizati, consequenter Christiani interne, ut colligitur ex *s. Verum*, in n. 3618. Sed de his ex professo egimus in Tract. Theologico de Sacramentis in genere. V. Gonzalez in cit. c. *Majores*.

